
UC-NRLF
$B 13 868

DE SAPPHUS EPISTULA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ANPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XII M. MARTII A. MDCCCLXXXVII HORA XI.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

NICOLAUS BARBU
CORONENSIS TRANSILVANUS.

ADVERSARII ERUNT:
M. RANNOW, Dr. phil.
R. ZIMMERMANN, Dr. phil.
A. BRAUNHOLTZ, cand. phil.



BEROLINI 1887.
TYPIS LEONHARDI SIMION.

GENERAL



Cum Sapphus ad Phaonem epistula in nullis vetustioribus Heroidum libris compareat neque a recentioribus quidem inter ipsas Ovidianas epistulas inserta, sed vel illis praemissa vel in calcem reiecta vel cum variis Latinorum scriptorum operibus uno volumine comprehensa peculiari plerumque titulo exhibeatur [1]), ambigi inter homines doctos de eius origine atque fide iam diu coeptum est. Quae dubitatio exigua quidem principio levissimaque, auctoritate tamen Lachmanni, illustrissimi viri, plurimum fota [2]) mox ad tantum gravitatis et roboris pervenit, ut novissimi editores illam epistulam aut a ceteris Heroidibus insignite distinguerent aut tamquam indignam inter ipsa carmina Pseudo-Ovidiana retruderent [3]).. Maxime autem in hac agendi ratione mirum esse videtur, quod, priusquam calculi in utraque parte ponerentur, tacita fere, ut ita dicam, deliberatione ad illud consilium capiendum ventum est; neque id, quod a Lachmanno in discernendis veris et adulterinis Heroidibus rem curiose atque ex arte conclusis argumentis tractari desiderabatur, prospere fieri poterat, priusquam de librorum manuscriptorum subsidiis certe constaret, quae nuper demum H. Sedlmayer et Scato de Vries [4]), viri

---

[1]) v. Prolegom. critic. ad Heroid. Ovid. ed. Sedlmayer. Vindob. 1878. p. 32.

[2]) Opuscul. philol. ed. Vahlen. Berol. 1876. pagg. 56 sqq.

[3]) Iam video eam nuperrime a Sedlmayero in Heroidum corpus receptam esse, quod Vindobonae a. 1886 edidit.

[4]) Cum haec scribebam, tum primum vulgabatur Lugduni Batavorum libellus Scatonis de Vries „Epistula Sapphus ad Phaonem“ inscriptus, quem gaudeo in summa re idem atque me sensisse, quamvis multa sint, de quibus ego quidem aliter statuam.

doctissimi, codicibus et optimis editionibus denuo excussis et perlustratis haud exigue auxere veraeque scripturae posuerunt initia. Itaque ancipiti cura pariter obsesso, ne quid detrimenti reiecta epistula Ovidio afferretur neve ea recepta labes quaedam imponeretur, visum mihi est inquisitionem ita instituere, ut non eos solum paucos locos, de quibus a criticis hic et illic disputatum est, in severius examen vocarem, sed rem quoque metricam, orationis formam atque colorem et sententiarum rationem cum Ovidii haud dubiis versibus eiusque dicendi consuetudine conferrem [1]). Et si fortasse non potero omnem rem ita absolvere, ut nulla dubitatio relinquatur, mentibus tamen non praeoccupatis haud inutile erit omnia in medium prolata et in ordinem digesta conspicere potuisse.

Quod de huius epistulae venere et lepore ab hominibus doctis iudicatum est, quoniam alii omnium Heroidum praestantissimam reginamque ceterarum [2]), alii Ovidii ingenio et indole indignissimam [3]) existimarunt, in incerto relinquere licet, cum non omnibus unum sit quod placeat. Neque huius modi aestimationes, etiam si a sanissima mente repetitae sint, tam multum ad explorandam originem valent, nam et optimi poetae nonnumquam carmina finxerunt mediocria et modiocres aliqua bonitate praestantia.

Sed antequam ad ipsam epistulam inspiciendam aggrediamur, operae pretium est perscrutari, usque ad quae tempora eius vestigia persequi liceat, quo facilius rationem nobis reddere possimus, quo modo res sese habeat. Vetustissimus omnium, qui Sapphus epistulam continent, librorum, Francofurtanus certe non est recentior saeculo XIII, reliqui autem orti sunt

---

[1]) De ceteris epistulis Ovidianis uberius disputavit Zingerle in sua dissertatione inscripta: Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Heroiden. Innsbruck 1878.

[2]) I. C. Iahnus in ed. Ovid. ann. 1828 p. 5 haec: „Neque audiendi sunt ii, qui epistulam XV, quae omnium praestantissima est, Ovidio indignam esse putaverunt.“ Cf. Werfer: „lectionum in Heroid. specimen.“ Actor. philol. Monac. Vol. I. p. 496.

[3]) Merkel. ed. Ovid. praef. p. X. cf. Riesii ed. Ovid. praef. p. X et Bernhard. hist. litt. rom. p. 550. — cf. Vries. l. l. p. 141.

saeculis XV et XVI [1]), cum antiquissimum omnium codicum, in quibus exstant Heroides Ovidianae, dico Parisinum n. 8249, undecimum quidem saeculum accedere notum sit [2]). Quod temporis intervallum maxime idoneum esse videtur, quod quam iustissimas suspiciones libros manuscriptos inspicienti iniciat. Itaque iam ante hos quadraginta duos annos Schneidewinus codicum ratione imprimis confisus pro certo habebat — nam ignorabatur a viro docto liber Francofurtanus — Sapphus epistulam prima saeculi XV parte ab Italo quodam docto, qui in Ovidio Propertioque versatus fuisset, confictam esse [3]). Sed haud diu in hac sententia permansit inventoque quodam felici epistulae originem longissime removere coactus est. Eodem enim lustro certior per Duebnerum, virum doctum, factus est librum saeculi XIII manuscriptum in bibliotheca „Notre Dame" Parisina (n. 17 903, olim 118) poetarum Latinorum excerpta continentem exstare [4]), in quo hi quattuor versus inscriptione „Sapho Phaoni" praediti:

(33) Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes,
(34) Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.
(195) Ipsis dolor artibus obstat.
(196) Ingenium nimiis deficit omne malum [5]).

inter Hypermnestrae et Paridis epistulas legerentur, i. e. eodem loco, ubi Daniel Heinsius in editione carminum Ovidianorum

[1]) Codex enim Guelferbytanus sextus g_6 littera a Sedlmayero notatus non est saeculi XIII sed XV Baehrensio iudice (Rivista di filologia XIII, fasc. I ann. 1884. p. 54).

[2]) Non saec. IX, cui vulgo tribuitur. v. Sedlmayer. Heroid. pag. XV.

[3]) Mus. Rhen. ann. 1843 p. 138. — cf. Vries. l. l. p. 128 sq.

[4]) Mus. Rhen. ann. 1845. p. 144.

[5]) Duos versus omisit in transcribendo Duebnerus, quos P. Meyer postea protulit, quique sunt huius modi:

(31) Si mihi difficilis formam natura negavit
(32) Ingenio formae dampna rependo meae.

cf. Comparetti „Sull' autenticità della epistola Ovidiana di Saffo a Faone", ed. Publicazioni del Instituto di studi superiori in Firenze Vol. II, 1a. 1876, p. 25. cf. Vries. l. l. p. 3.

Elzeviriana ann. 1629 Sapphus epistulam primus collocaverat. Quod maxime mirum est, quoniam ne unum quidem Heroidum exemplarium memoriae traditum est, quod illum ordinem confirmet. Habueritne ad manum celeberrimus editor illum excerptorum codicem an alium fortasse integrum mox periturum secutus sit, scire non licet. Sed minime concedere possumus Danielem Heinsium divinando vel ad suum arbitrium sic egisse neque veri est simile Nicolaum eius filium, assiduum antiquitatis exploratorem, in via a patre monstrata temere inconsiderateque perseverasse.

Utcumque res erit, eo testimonio certe evincitur, quod etiam Schneidewinus ipse, ut agnosceret, adductus est, epistulam iam saeculo XIII non solum exstitisse, verum etiam in corpore ipso Heroidum Ovidianarum locum habuisse. Quibus nequaquam leve aut invalidum adminiculum etiam eo affertur, quod in Speculo Historiali a Vincentio Bellovacensi, sedulo poetarum Latinorum excerptore, annorum spatio 1244—1254 haud dubie conscripto unus versiculus 96 eodem loco, i. e. post Hypermnestrae epistulam collocatus legitur:

Ingenium nimiis deficit omne malis [1]).

Sed alium quoque aliquanto antiquius florilegium Parisinum (n. 7642) idque membranaceum saeculo XII desinente vel incipiente XIII exaratum, quod nomine Thuaneum appellari solet, plures Sapphus epistulae versus continet, quos Gaston Boissier, magister praeclarus, promptissima qua est benevolentia ac liberalitate meum in usum descripsit leviculis modo quibusdam scripturae discrepantiis omissis mihique per litteras transmisit. Illi versus sunt huiusce modi:

(14) Sunt vacuae carmina opus.[2])
(31) Si mihi difficilis formam natura negavit,
(32) Ingenio formae dampna rependo meae.
(33) Sum brevis; at nomen quod terras impleat omnes,
(34) Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

---

[1]) v. Sedlmayer. Proll. p. 32 et Comparetti. l. l. p. 25. Vries, l. l. p. 4.

[2]) Praetermissus est hic versiculus in dissertatione Comparettii p. 25; neque Vries eum accurate descripsit p. 3.

(65) Factus inops agili peragit freta caerula remo,
(66) Quasque male amisit, nunc male quaerit opes.
(72) Non agitur vento nostra carina suo.
(83) Saepe abeunt studia in mores artesque magistrae
(195) ipsis dolor artibus obstat.
(196) Ingenium nimiis deficit omne malis.

Haec frustula satis inepte, ut apparet, selecta eundem locum, quem in Vincentii Speculo Historiali et in altero excerptorum codice obtinent, i. e. inter distichon 15—16 solum de quarta decima epistula excerptum et dimidiam partem versus septimi epistulae, quae est sexta decima editionis Heinsianae: *quis enim celaverit ignem*[1]) Comprehendit scilicet hic codex, ut me inclitus magister docuit, aliquot versiculos ex omnibus deinceps epistulis Ovidianis, ex Sapphus autem epistula aliquanto plures excerptos, eodem ordine, quem ab Heinsiis postea comprobatum videmus diligenter observato.

Quamvis firmis argumentis demonstrari nequeat, quem locum in Heroidum numero Ovidiana Sapphus epistula, cuius mentio iam a poeta ipso inter alias est facta Am. II. 18, 21 sqq., antiquitus obtinuerit, tamen, si quid ponderis illi Heroidum enumerationi tribuere velis, haud audacter de huius epistulae collocatione coniciendo rationem ita concludere licet, ut inter primas quindecim epistulas, quae tamquam poetae ingenii primitiae prius vulgatae fuisse videntur[2]), Sapphoni postremo commemoratae postremam addicas sedem, quemadmodum Penelopen, cuius mentio ante omnes inicitur, primam in Heroidum corpore oculis occurrere iam vides[3]). Unde in-

[1]) De collocatione horum versuum nihil adhuc notum erat.

[2]) Lucem eas sine dubio vidisse ante Amores iterum vulgatos et Artis amatoriae libros conscriptos ex duobus locis Am. II, 18, 21 sqq. et A. A. III, 345 sq. colligi potest. Reliquae autem, quae mutua vice scribuntur, quoniam de iis nulla mentio eo loco memorabili habetur, posteriore tempore compositae ac publici iuris factae fuisse videntur.

[3]) Paulo accuratius etiam perstringere rem possis. Etenim poeta non prorsus promiscue indiscreteque, sicut primo obtutu credideris, sed potius certo quodam ordine observato epistulas illo loco commemorasse videtur. Nimirum, si quidem eas in tres partes vel libros divisas esse statueris, quorum

tellegitur, quam facile fieri potuerit, ut Sapphus epistula iactura aliquot foliorum iam mature a reliquis disiungeretur et, tamquam quae suum larem non inveniret, aut initio aut in calce epistularum omnium aut cum variis variorum scriptorum operibus peculiari titulo inscripta[1]) ad nostram aetatem perveniret. Nam vestigia, quae in excerptis illis Parisinis exstant, ostendunt epistulam, quam nunc lectitamus, eandem esse atque eam, quae olim Nasoni tribui solebat.

Quod ad excerptorum fontem pertinet, quaestio difficilis est neque hic absolvi potest, utrum Vincentius et ceteri eorum

---

primus quattuor, secundus sex, tertius quinque epistulas contineat, habebis per duos versus 21—22 initium primi libri Penelopes et Phyllidis nominibus indicatum; deinde in insequenti versu principium libri secundi Paridis nomine et initium libri tertii Macareos et Iasonis nominibus deinceps designatur; tum sequuntur Hippolyti et Theseos nomina, quae primi et secundi libri exitus enunciant; denique, cum nihil aliud restet, quam ut finis non solum libro, sed toti etiam corpori imponatur, Sappho extrema additur, Didone aequabilitatis et distichi explendi causa interposita. Ternas igitur ex singulis libris electas habes epistulas. — Retuli ego quidem Iasonis mentionem (v. 23) non ad epistulam sextam, cui adhuc vulgo applicatur, sed ad duodecimam, de cuius origine Lachmannus et eius asseclae dubitant, sed quam *male grato legenti* optime convenire agnoscet, qui hos respexerit versus:

21. Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.
124. Debuit ingratis Scylla nocere viris.
206. Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.

cf. et vv. 73—88. Neque Sabini epistula, quam velut ad Hypsipylen ab Iasone scriptam significat (Am. II, 18, 33) Ovidius, impedimento est, quominus Medeae scribenti ingratum Iasonem legentem assignemus, cum poeta nihil aliud ea enumeratione voluisse videatur, nisi certis et scite selectis nominibus integrum XV epistularum indicare corpus, ubi sine dubio et Hypsipyles epistula comprehendebatur, cui Sabinus ad Iasonis vicem respondere poterat. — Num in enumerandis etiam Sabini epistulis certam aliquam rationem secutus sit poeta, affirmari nequit; tamen, quod ad Ulixis epistulam attinet, primo loco in Sabini epistularum numero eam adiudicatam fuisse ex Pont. IV, 16, 13 sq. certe colligi potest, ubi de more prima pro toto corpore posita est.

[1]) Hanc tituli condicionem sibi explicabit, qui inscriptiones vel subscriptiones epistulae inspexerit, quas codices exhibent. Alii enim haec: „Saphos poetissae ad Phaonem Siculum libellus feliciter incipit“ (v. Sedlmayer. Proll. p. 17); alii: „Explicit epistola Saphos poetisse mutilene“ (ibid. p. 16). Nimirum librarius quidam indoctus versu 4: „An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus“ in mirum errorem inductus censuit epistulam a Sapphone ipsa profectam esse. cf. Vries. l. l. p. 5.

auctores antiquiora tantum anthologica secuti sint, an integros quoque Latinorum scriptorum libros ad manus habuerint. Utraque enim sententia pares habuit defensores.[1]) Ex frustulis tamen supra laudatis facile concludi potest librum manuscriptum olim fuisse, qui Sapphus epistulam memoriae traditam in Heroidum numero quintam decimam contineret quique antiquissimi exemplaris Parisini (P) aetate certe haud recentior esset. Cum autem a nemine concedatur media aetate quempiam huic operi componendo parem fuisse,[2]) necese est id ad ea tempora referamus, quibus illa Nasonis vera — si quidem quae nunc legitur adulterina est — epistula iam exstabat, aut certe quae his proxima erant. Et exstitisse nostram epistulam in ipsa antiquitate ex pluribus vestigiis animadvertere possumus, de quibus infra accuratius disseram.

Nunc revertamur, quaeso, ad versus 33—34:

Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

quorum loco omnes codices praeter Francofurtanum et excerpta supra laudata hoc exhibent distichon:

Nec me despicias, si sum tibi corpore parva
Mensuramque brevis nominis ipsa fero.

nisi quod Harleiano cocide, qui Francofurtano excepto antiquiorem habet auctoritatem[3]), utrumque distichon ita continetur, ut hoc illi praecedat et pro *sum* lectionem *sim* praebeat. Totum

---

[1]) O. Richter: De Vincentii Bellovacens. excerpt. Tibull. Bonnae 1865. et E. Protzen: De excerptis Tibull. Gryphiswald. 1869. cf. et G. Meincke in Mus. Rhen. 1870. p. 372.

[2]) Quam parum nota eo tempore fuerit poetria Lesbia apparet ex hoc commento ad Horat. Carm. II, 13, 25: „Paene fuit ut viderem Sappho, mulierem poetae, querentem de popularibus puellis. Sappho mulier, cuius nomen indeclinabile est. Mulier graeca fuit perita tragoediae, cuius imitator Horatius fuit, quae dicitur querelari apud inferos de puellis civibus suis, cur eundem puerum non amassent, quem ipsa diligebat.“ Suringar. Histor. crit. scholiast. Latin. III. p. 137. — cf. L. Müller de re m. p. 49.

[3]) Sedlmayer in noviss. Heroid. editione (p. XV) addicit hunc librum saec. XIII—XIV, Baehrensius autem saec. XV in Rivista di filologia. XIII. ann. 1885. p. 52,

hunc locum defendere Baehrensius conatus est[1]), cui non ille solum verborum lusus arridet, sed versuum etiam aequabilitas maxime placet, ex qua brevis corporis habitus pariter ac fuscus color bina per disticha impugnentur. Iacturam autem versuum, quam alii codices alio loco fecerunt, sic excusat: librarium, qui commune archetypon exaraverit, a priore colo *nominis ipsa fero* ad alterum oculis aberrasse; mox autem errore animadverso posterius distichon in margine a correctore esse adiectum: hanc emendationem esse intellectam ab eo, qui Harleianum scripserit exemplar, in aliis apographis archetypi modo hoc modo illud distichon solum esse receptum. Hac quidem coniectura facile sane explicatur, quo modo factum sit, ut superius tantum distichon a recentioribus exemplaribus exhibeatur, sed non tam recte explicat vir doctus, quare in antiquissimo codice — taceo enim de excerptis Parisinis, in quibus illud praetermitti poterat — eius vestigia non compareant. Non enim veri simile est scribam huius libri versus in marginem relegatos in textum ita recepisse, ut eos, qui textui iam inserti essent, eiceret. Quam ob rem facilius hoc incrementum habebis explicatum, si statueris superius distichon interpolatoris studio in textum irrepsisse. Sed ne inconsiderate ac temere agere videamur, perpendendus sententiarum ordo est, qui illis versibus admissis nascitur. Ac primum quidem in lectione libri Harleiani, cum indicativus *fero* et coniunctivus *sim* uno tenore se excipiant, orationis inconstantia recte reprehenditur. Deinde in priore pentametro, ne oratio sensu careat, necesse est *nomini* plane diversam vim atque in posteriore tribuamus, scilicet ut de nomine Sapphus ipso litteris constante cogitetur. Sed praeterquam quod huius modi verborum lusus puerilis et tamquam per ambages exercitus abhorret a veterum vel mediocrium poetarum consuetudine, ne Sapphus quidem nomen tam paucis litteris constat, ut idonea efficiatur comparatio. Porro neque inepta repetitio ferri potest, quippe quae per tres fere versus pateat. Baehrensii autem con-

[1]) l. l. p. 53.

iectura *feram* pro *fero* reponentis nulla alia difficultate expedimur, nisi dispari orationis forma, quam alioquin iam senserant qui posteriores libros exararunt, alii *sim* in *sum* mutantes, alii particula *que* deleta sic scribentes:

Mensuram parvi nominis ipsa fero.

Prima mutatione futilis iteratio non tollitur; alteram correctionem si animadvertas, Sappho male, ne dicam ridicule, rem suam egit brevem corporis habitum brevitate nominis sic defendens: „ne me despicias, si sum brevis: meum quoque nomen breve est“. E contrario res optime se habet in altero disticho:

Sum brevis, ad nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

cf. Fast. I, 603:

Magne, tuum nomen rerum est mensura tuarum.

et ex Pont. I, 2, 1:

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.

Metam. XII, 612:

At vivit, totum quae gloria compleat orbem:
Haec illi mensura viro respondet. cet.

Vries autem non specie tantum pentametrorum propemodum aequali, sed etiam illa inficeta nominis et staturae comparatione pariter offensus, ita pag. 50 sq. disputavit, ut statueret genuinum quidem esse distichon 33ª—34ª, versum tamen 34ª foede esse corruptum, quippe in quo esset agendum de brevitate non nominis sed corporis, ut docet v. 33 ‚ubi Sappho concedens parvam sibi esse staturam exclamat: *sum brevis: at nomen* cet.' De totius autem loci sententia, quae olim integro versu exstiterit, haec statuit vir doctus: „Noli me despicere, quod sum corpore parva, *noli ingenium meum metiri ex humili mea statura.* Corpore sum exiguo, fateor, sed nomen mihi est magnum et amplum, gloria mea per omnem terrarum orbem est celebrata: haec est mensura, qua metiri me debes“.

Sed illam sententiam, quae versui 34ª tribuitur: *noli ingenium meum metiri ex humili mea statura* ab eius forma,

ut nunc est, toto coelo distare plane manifestum est, neque, ut ad eam sententiam perveniamus, satis erit versum tantum emendasse, sed magis eo relegato alium novum in eius locum subrogasse. Quae corrigendi ratio vero nomine interpolatio appellatur. Praeterea etiam si Vriesii interpretationem admiserimus, illa insulsa, de qua diximus, repetitione non expediemur, nam ea quae vv. 33ª—34ª dicuntur, vel superioribus vel subsequentibus continentur. Contra post distichon 31—32 rectissime enumerantur corporis vitia refutanturque.

Iure igitur iam pristini editores versibus 33ª—34ª repudiatis veterem lectionem vindicarunt, neque ullam excusationem habet Baehrensius alterum quoque distichon recipiens, utpote quod aliunde forte petitum [1]) atque incondite consutum inepti cuiusdam interpolatoris manum atque studium prodat.

Eiusdem modi interpolationem habent iidem codices versum 162 sic praebentes:

Formosus puer est visus adesse mihi

pro quo in Francofurtano solo legitur:

Constitit ante oculos Naïas una meos.

quam lectionem solam esse rectam apparet ex v. 175:

Ibimus, o nymphe, monstrataque, saxa petemus.

Illa autem interpolatio quo modo in codices irrepserit, facile est intellectu. Nimirum in apographo quodam archetypi propter idem subsequentis versus initium excidisse pentameter videtur, in cuius locum sciolus aliquis temerarius versiculum et inscite conformatum et male convenientem subrogavit [2])".

---

[1]) Similis versus legitur apud Theodolfum Aurelianensem episc. Carm. II, 2, 31:

Nec tibi displiceant, quoniam sunt corpore parva.

cf. Pseudo-Ovid. de aurium medicamine (Seebodii bibl. crit. 1829 n. 61; Kunz de Ovidii med. fac. p. 29) v. 1:

Ne tibi displiceam, quia sic sum corpore parvus.

[2]) Baehrens. l. l. p. 53. Vries. l. l. p. 97.

Verum ne ille quidem versus viris doctis vitio immunis visus est. Jam Heinsius lectione *Naïas una* offensus „Naïas uda" legere volebat, quae coniectura etiam Bentleio placuit. In eadem difficultate, si quid haec lectio difficultatis habet, Th. Birtius argumentum se reperisse credit, quo totam epistulam Ovidio abiudicaret. Quod plane contrarium est: Ovidio enim imprimis proprium est numerale quod vocant verbum pro eo quod est *aliquis* vel *quidam* adhibere, praesertim cum rem gravem atque conspiciendam significare velit, quae sive praestantia sive humilitate inter alias eminet. Ita Met. VIII, 786 sq[1]).:

montani numinis *unam*
Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

Fast. IV, 79:

Huius erat Solymus Phrygia comes *unus* ab Ida.

Met. VI, 578 sq:

perfectaquė (stamina) tradidit *uni*,
Utque ferat dominae, gestu rogat illa. —

ubi non de quaqua famula, sed potius de certa quadam fidelissima cogitandum est[2]).
Fast. V, 663 sq.:

Clare nepos Atlantis, ades, quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleïas *una* Iovi.

ubi eadem ratione ductus atque nostro versu *Pleïas uda* Bentleius iniuria coniecit, cui Merkelium iam adstipulatum esse video. Hanc dicendi consuetudinem adscivisse poetam e vetere vel familiari sermone documento esse videntur multa exempla, quae apud Plautum et Terentium inveniuntur, veluti Plaut. Pseud. IV. 1, 38:

Lepida ibidem *una* aderit mulier tibi super savia savia quaedet.

---

1) Numeri sunt Merkelii.
2) cf. Vries. l. l. p. 97.

cf. Mil. Glor. I, 1, 24. Most. III, 1, 146. III, 2, 2. IV, 3, 9. Epid. III, 4, 17. Ter. Andr. I, 1, 90 sqq:

forte *unam* aspicio adulescentulam,
Forma . . Bona fortasse . . Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.

Ad quem locum Donatus haec habet: „ex consuetudine dicit *unam*, ut dicimus *unus est adulescens;* tolle *unam* et ita fiet, ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Unam* ergo *τῷ ἰδιωτισμῷ* dixit, vel *unam* pro *quadam*". Simili modo, sed in malam partem usurpat semel idem verbum Catullus 22, 9 sqq.:

Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus *unus* caprimulgus aut fossor
Rursus videtur.

quo loco *bello et urbano* graviter *unus caprimulgus* opponitur. Apud scriptores solutae orationis eundem usum invenies Cicer. de Orat. I, 29, 132; Tusc. Disp. I, 12, 27; Liv. VII, 34, 3, ubi cf. ea quae Drakenborchius attulit.

Quibus expositis licet epistulae originem sciscitando longius persequi. Sed cum via lubrica sit, cavendum omnino est, ne argumenta petantur, unde nulla peti possunt. Quapropter accuratius debemus examinare, quid valeant polleantque argumenta, quae Comparettius, ut epistulam defenderet, ex Ausonii scriptis duxit. In carmine quidem „Cupido cruci affixus" [1]) inscripto, quod ille poeta imagine quadam Amoris in triclinio Aeoli Treveris visa incitatus composuit, agitur de feminis nobilibus vel *Heroidibus*, quae amoris igne perierunt et in campis lugentibus, quos Vergilii musa Aen. VI, 441 sqq. cecinit, commorantur. Depromptae sunt ex Marone ipso Phaedra, Procris, Eryphile, Pasiphae, Laodamia, Caenis et Elissa, quibus de suo addidit poeta Semelen, Hero, Sappho, Ariadnen et alias. De Sapphone autem haec leguntur v. 24 sq:

---

[1]) In editione novissima Schenklii p. 121.

Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.[1])

His versibus adductus Comparettius est, ut suspicaretur Ausonium nostram epistulam ante oculos habuisse, cum nullus alius antiquitatis auctor esset, de quo illud indicium sumi potuisset.[2]) Qua in re disceptanda vir doctus, cum epistulam nimio studio vindicare Ovidio vellet, graviter peccasse mihi videtur.

Nam neque *Heroidum* nomini, quo Ausonius utitur, tantum ponderis tribuendum est, ut statim de Nasonis epistulis cogitetur, qui eas numquam hoc nomine designavit, neque verba *saltum minatur* plane eandem Sapphus condicionem atque in nostra epistula significant[3]), sed potius pronam poeta atque in gurgitem inclinatam, qualem ante oculos pictam habebat eam effingere studet. Praeterea qui Ausonii carmen diligentius inspexerit, non idem argumentum inveniet. Poeta enim Burdegalensis eas puellas in medium profert, quae prae amore mortem oppetiere, ut ipse dicit vv. 3 sq.:

Orgia ducebant Heroides et sua quaeque,
Ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant.

et infra vv. 65 sqq.:

Cunctae exprobrantes tolerati insignia leti
Expediunt: haec arma putant, haec ultio dulcis,
Haec laqueum tenet, haec speciem mucronis inanem
Ingerit, illa cavos amnes rupemque fragosam, cet.

quibus ultimis verbis Sapphus mortis mentio sine dubio illata est. Ex epistulae autem versibus 165—184 cum Am. II., 18, 34 coniunctis manifesto efficitur, Sapphonem non solum saltui perpetrato superstitem fuisse, verum etiam a Phaone postea amatam. Sed de his inferius plura disputabo.

---

[1]) Hunc versum additum esse in editione Ugoleti a. 1499, ut lacuna expleretur, quae post v. 24 in codicibus esset, demonstrat Schenkl p. 122. Sed hoc versu possumus carere salva nostra disputatione.

[2]) Comparettium secutus est Vries l. l. p. 122 sq.

[3]) Dixit enim V. D. l. l. haec: Del resto, l'atteggiamento di Saffo che *minatur saltum* è appunto quello ch'essa ha nella nostra epistola.

Haud firmius argumentum vir doctus petere conatus est ex eiusdem poetae epigrammate XCII.[1]), ubi δυσέρωτι cuidam opem atque auxilium petenti Venus plura consilia dat salutaria, quae cum nihil adiuvare possint, varia mortis genera sic ei commendat vv. 11 sqq.:

Suasi quod putui: tu alios modo consule. — Dic quos?
— Quod sibi suaserunt, Phaedra et Elissa dabunt,
Quod Canace Phyllisque et fastidita Phaoni.

Qui locus, cum omnia quae continet feminarum nomina Ovidianis epistulis inscripta videamus, maxime lubricus est facileque in errorem inducere legentem potest, ut credat eas omnes puellas ex Ovidio ipso depromptas esse. Sed quoniam hoc quoque loco de morte Sapphus intellegendum est, potius crediderim Ausonium alium scriptorem esse secutum, fortasse quempiam Alexandrinorum, quos in fabulis tractandis quam ingeniosissimi fuerint notum est. Quae si recte disputata sunt, anceps de saltus exitu fama olim manasse videtur, quamquam de hac re veteres auctores, qui ad nostram aetatem pervenerunt, nihil certi memoriae tradunt. In Menandri quidem fragmento, quod a Strabone X, 452 servatum est, haec tantummodo nequaquam mortis vel salutis mentione facta traduntur:[2])

οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ
τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φάων᾽
οἰστρῶντι πόθῳ ῥίψαι πέτρας
ἀπὸ τηλεφανοῦς ἅλμα κατ᾽ εὐχὴν
σήν, δέσποτ᾽ ἄναξ, εὐφημείσθω
τέμενος περὶ Λευκάδος ἀκτῆς.

Neque Servius grammaticus de hac re plura nos docet, cum ad Verg. Aen. III., 274 haec scribit: „Sane de hoc Leucate amatores se in mare ad excludendum amorem praecipitare dicebantur, ut Sappho † quae his inde desiluit“; et

[1]) Edit. Schenkl. p. 221. — cf. Vries. l. l. p. 122.

[2]) Sequimur versuum ordinem a Bentleio haud dubie recte constitutum. cf. A. Meincke, Menandri et Phil. reliquiae. p. 105. et Vries. l. l. p. 101.

paulo infra ad v. 279, ubi Menandreae comoediae argumentum indicare videtur, non ultra saltum narratione transgreditur haec adnotans: „Menander et Turpilius comici a Phaone id templum conditum dicunt: qui cum esset navicularius solitus a Lesbo in continentem proximos quosque mercede transvehere, Venerem mutatam in anus formam gratis transvexit; quapropter ab ea donatus unguenti alabastro, cum se in dies inde tum ungeret, feminas in sui amorem trahebat, in queis fuit una (?), quae de monte Leucate, cum potiri eius nequiret abiecisse se dicitur.“ [1]) Caeterum iis, qui de monte Leucadio desiliebant, cum plumis atque avibus suspensis saltum sublevare studerent et a multis lembis in orbem circumstantibus excepti essent, saepe ex periculo ut evaderent contigisse ex eodem Strabonis loco sequi potest. [2]) Atqui Sapphonem certis indiciis scimus tellure Aeolica sepultam esse. [3])

Si autem Ausonii versibus supra allatis nihil in inquirendis epistulae vestigiis profici potest, compensationi nobis est testimonium, quod apud Probum grammaticum invenitur et ex quo colligere licet nostram epistulam saeculo quarto iam exstitisse. [4]) Ille enim in Catholicis haec habet [5]): „*this:* et hoc tertiae est declinationis, *this* vel *dis* facit genetivo, *Atthis, Atthis, Atthidis,* sic Ovidius.“ De quibus verbis, cum apud Ovidium

---

[1]) cf. Silv. V, 3, 154: saltusque ingressa viriles.
Non formidata temeraria Leucade Sappho
et Suidas: *Σαπφώ, Λεσβία ἐκ Μιτυλήνης, ψάλτρια· αὕτη δι' ἔρωτα Φάωνος τοῦ Μιτυληναίου ἐκ τοῦ Λευκάτου κατεπόντωσεν ἑαυτήν.*

[2]) *ἦν δὲ καὶ πάτριον τοῖς Λευκαδίοις κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Ἀπόλλωνος ἀπὸ τῆς σκοπῆς ῥιπτεῖσθαί τινα τῶν ἐν αἰτίαις ὄντων ἀποτροπῆς χάριν, ἐξαπτομένων ἐξ αὐτοῦ παντοδαπῶν πτερῶν καὶ ὀρνέων ἀνακουφίζειν δυναμένων τῇ πτήσει τὸ ἅλμα, ὑποδέχεσθαι δὲ κάτω μικραῖς ἁλιάσι κύκλῳ περιεστῶτας πολλοὺς καὶ περισώζειν εἰς δύναμιν τῶν ὅρων ἔξω τὸν ἀναληφθέντα.* cf. et Th. Kock. Alcaeus und Sappho. Berolin. 1862. p. 63 sqq. et Vries. l. l. p. 103.

[3]) Anth. pal. epigramm. VII, 17; 14.

[4]) De aetate, qua hic grammaticus vixerit, Steupius in sua dissertatione „De Probis grammaticis“ inscripta ed. Jenae 1471 p. 167 ita disputavit, ut eam haud posteriorem quarto saeculo esse diceret. Cf. Keil, Gramm. lat. VI. p. 481.

[5]) Keil. edit. IV. p. 30. cf. Vries. l. l. p. 120.

genetivus huius nominis nusquam reperiatur, varie disputatum est. Ac primum quidem fuerunt qui in vera Ovidii epistula *Atthis* genetivo casu occurrisse contenderent.[1]) Lachmannus autem hoc nomen non ad puellam Lesbiam, quae epistulae versu 18 commemoratur, verum ad Attin iuvenem Cybelae adamatum refert, quem Ovidius aliquotiens recto casu (Met. X, 104; Fast. IV, 223; Ib. 453), semel quarto *(Attin:* Fast. V, 227.), numquam autem genetivo appellavit. Sed non tam ad verbum accipiendum esse illud documentum facile concedet qui grammatici rationem cognoverit, ex qua non tam ea mente testes veteres auctores excitare solet, ut genetivi forma confirmetur, quam ut summatim ostendatur nomen prolatum, quocunque est casu, apud scriptores citatos inveniri. Ita in iisdem Probi Catholicis pag. 22 haec leguntur: „*Has* tertiae sunt graeca, *dis* genetivo faciunt, *Orchas Orchadis*“ et cum genetivi exemplum, quo lex illustretur, expectemus, grammaticus haec addit: „Vergilius: *Orchades et radii.*“. Eodem modo pag. 25 scriptum legimus: „Unum masculini generis legi tertiae declinationis *ris* faciens genetivo, *hic mus huius muris,* ut Horatius: Parturient montes, nascetur ridiculus mus.“[2]) Cuius generis

[1]) Schneidewin. Mus. Rhen. 1843. l. l.

[2]) Simili modo pag. 18 leguntur haec: „Vergilius poetice *Naias Naiadis* posuit: *Aegle Naiadum pulcherrima;*“ p. 11, 35: „*bar* terminata tertiae sunt declinationis: *ris* faciunt genetivum, hoc iubar iubaris — splendorem diei significat — Vergilius: *iubare exorto*“ (Aen. IV, 130); p. 12, 9: „hic suber suberis, Vergilius: *raptus de subere cortex*“ (Aen. VII, 742); p. 15, 6: „lar tertiae declinationis est, *ris* facit genetivo, hic lar huius laris, Plautus: *ego sum lar familiaris.* (Aulul. prol. 2.) Vergilius: *Pergameumque larem.*“ (Aen. V, 744); p. 15, 28: „*nar* tertiae sunt declinationis, *ris* facient genetivo, Nar Naris, nomen fluminis, Vergilius: *sulpurea Nar albus aqua*“ (Aen. VII, 517); p. 15, 36: „*ner* correpta terminatum declinationis tertiae *ris* faciens genetivo, hic et haec et hoc degener huius degeneris, Vergilius: *degeneres animos.*“ (Aen. IV, 13) „Lucanus: *degener o populus.*“ (Pharsal. II, 116); p. 16, 8: „*per* terminata corripiuntur et sunt secundae; nam *pri* faciunt genetivum, caper capri, aper apri, excepto uno generis omnis declinationis tertiae, *e* correptam in genetivo ante *ris* habente, hic pauper pauperis (haec pauper): *quam honeste in patria pauper vivere.*“ (Terent. Andr. IV, 5, 3.) „et *paupere terra*“ (Verg. Aen. VI, 812); p. 16, 15 „piper piperis: Persius *rugosum piper*“ (sat. V, 55); p. 17, 4: „unum in genetivo *e* correptam ante *ris* habet,

multa congeri possunt exempla, quae in adnotatione legere possis; unum tamen satis erit hoc loco insuper memorasse, utpote quod cum indicio, de quo agitur, insignem habeat

---

hic later lateris, Terentius: *laterem lavem*" (Phorm. I. 4, 9); p. 19, 1: „*i* genetivo singulari terminata graeca secundae erunt declinationis, lageos lagei, Vergilius: *tenuisque lageos*" (Georg II, 93); p. 19, 16: „*vas* terminata tertiae sunt declinationis, *sis* vel *dis* faciunt genetivo, vas vasis, Terentius: *nec vas nec vestimentum.*" (Heaut. tim. I, 1, 89) „vas vadis, Cicero: *tamquam vade*" (Orat. p. Sest. VIII, 19. cf. Madvig. opuscul. academ. I, p. 451); p. 20, 5: „inpubis inpuberis, sicut Tullius: *filiumque eius inpuberem*" (Catil. 4, 6); p. 20, 7: „hic et haec bos huius bovis, Horatius: *intactas boves*" (Epod. IX, 22); p. 20, 23: „unum repperi graecum secundae declinationis *ci* faciens genetivo, Damascos Damasci, sicut Lucanus: *ventura Damascos*" (Phars. III, 215); p. 21, 7: „sed vulgus et pelagus secundae sunt declinationis, *gi* faciunt genetivo, pelagi, vulgi, numero semper singulari. Vulgus et masculino genere declinatur, Vergilius: *ignobile vulgus*" (Aen. I, 149); p. 21, 22: „*dis* terminata tertiae sunt declinationis, *dis* faciunt genetivo, hic et haec rudis huius rudis, haec fidis huius fidis: *fidibusque canoris*" (Verg. Aen. VI, 120); p. 23, 1: „Amyclas Amyclae, nomen lectum in Lucano: *molli consurgit Amyclas, quem dabat alto, toro*" (Pharsal. V, 520); p. 24, 30: „unius ergo generis nomina *mis* syllaba terminata *ris* faciunt genetivo, hic vomis, hic cucumis, huius vomeris et cucumeris: Martialis cum genere: *cucumerem rectum*" (epigr. XI, 18, 10); p. 25, 16: „Graeca tertiae sunt acuto in novissima syllaba contra rationem latinae linguae, sed *dis* facientia genetivo, Maenas Maenadis, nomen Bacchae, sic Persius et Horatius." (Pers. sat. I, 101, 105; Horatii memoria ad nomen *Thyiadis* carm. III, 15, 10; II, 19, 9. pertinere videtur); p. 27, 17: „*ras* primae sunt declinationis, *rae* faciunt genetivo, hic Hieras huius Hierae, Cicero: *Hieras et Blaesamius et Antiochus* in Caesarianis" (p. Deiot. 15, 41); pag. 27, 19: „*res* correpta *tis* faciunt genetivo, teres teretis, producta *ris* Antores Antoris, Seres Seris, Lucanus: *sub iuga iam Seres.*" (Phars. I, 19); p. 29, 15: „haec amystis huius amystis amystidis, nomen lectum in Horatio." (Carm. I, 36, 14: Threicia vincat amystide); p. 29, 26: „nam *hoc tus* neutrorum ratione *us* finitorum *ris* facit genetivo, huius turis, Vergilius: *ture calent arae*" (Aen. I, 417); p. 30, 9: „hic questus, si participium sit, huius questi, si non faciens aliud genus, huius questus, Vergilius: *questuque cruentus*" (Aen. VII, 501); p. 30, 17: „*thes* productum graecum inveni apud Ovidium, Ianthes huius Ianthis vel Ianthidis" (Met. VIIII, 715 Ianthen, 723 Ianthe, 744 Ianthe, 760 Ianthe, 795 Ianthe); p. 30, 21: „*thus* secundae sunt declinationis, *thi* faciunt genetivo, hic Parthus huius Parthi, hic acanthus huius acanthi, Vergilius: *croceo velamen acantho*" (Aen. I, 649; 711); pag. 30, 27: „hic vas huius vadis, Cicero: *vultu tamquam vade*" (Orat. p. Sest. 8, 19); p. 31, 8: „*xos* corripiuntur et graeca sunt secundae declinationis, *xi* faciunt genetivo, haec Naxos huius Naxi, Vergilius: *bacchatamque iugis Naxon*" (Aen. III, 125); p. 31, 13: „excipitur unum

similitudinem. Est autem hoc huiusce modi pag. 28: „Sons correpta in medio habens *n tis* faciet, *insons insontis:* sic Horatius.“ Attamen ab Horatio bis hoc verbum recto casu (carm. II., 19, 29. et Serm. I., 6, 69), numquam genetivo usurpatum est. Quod cum ita sit, nihil plane impedit, quominus Probi testimonium ad epistulam nostram pertineat.

Sed nunc, quod superest, quaeritur, utrum grammaticus ad epistulam ipsam eiusque versum 18, an ad Attin Cybeleium respexerit, qui errore quodam per aspirationem in Ovidii exemplaribus ut scriberetur fieri potuisse Lachmanno largiri licet[1]), quamvis librorum qui exstant auctoritate haec scriptura minime confirmetur; sed probabile non est Nasonem vulgari scribendi ratione spreta aspirationem peculiari modo nomini adiecisse, neque grammaticum tam neglegenter egisse, ut grave librariorum mendum reciperet. In iis autem, quae apud Marium Plotium Sacerdotem[2]) scripta inveniuntur II., 59: „*this* tertiae declinationis *this* vel *dis* facit genetivo: *hic Atthis huius Atthis* vel *Atthidis,* sic Ovidius“, emendatione opus esse iam Keilius sensit, veterum grammaticorum strenuus sospitator, qui *haec* pro eo, quod codex Bobiensis nunc Vindobonensis *hic* habet, iure reposuit.[3]) Plura enim similis modi peccata in eo exemplari legentibus obviam occurrunt; ita paulo infra (§ 60) *haec luxus* pro *hic luxus* et supra (§ 54) *hic lendos* pro *haec lendis* exhibentur. Si autem mendi illius quae fuerit origo quaerere velis, operae pretium erit Probi Catholica et Sacerdotis librum alterum inter se contulisse, quae ex communi fonte ducta esse videntur.[4]) Ac primum quidem Probus cum

quartae declinationis *xus* faciens genetivo, hic luxus huius luxus, luxuriam scilicet significans, Terentius: *adulescens luxu perditus*“ (Adelph. IV, 7, 42); p. 31, 31: „excipiuntur quattuor, quae nec *cis* faciunt genetivo nec *gis*, nix nivis, nox noctis, senex senis, supellex supellectilis, Terentius; *supellectile opus est.*“ (Phorm. IV, 3, 61.)

[1]) l. l.

[2]) De hoc nomine v. quod Keilius in praefatione vol. VI p. 420 disputavit.

[3]) cf. Loers. Mus. Rhen. 1846 p. 43 et Comparetti l. l.

[4]) cf. Keil. l. l. vol. VI p. 422: „Itaque antiquior et plenior liber olim fuit, ex quo tamquam communi fonte et hic liber, quem nunc Claudii Sacer-

vocabulorum terminationes in ordinem redigendas ita suscepisset, ut per singulas litteras atque syllabas demonstraret, qualis nominativus qualem faceret genetivum, mentione eorum, quae in *tis* syllaba desinunt, facta (p. 29), exempli causa *Attidis* nomen pronomine addito posuit. Paulo post de *this* exitu disputans regulam *Atthidis* nomine ita illustravit, ut pronomen prorsus omitteret. Quod, si recte Probi mentem perspicimus, propterea fecit, quia nomen graecum in *is* adiectivi vice desinens cuius esset generis omnibus pernotum erat. Pari modo de *Laide, Thaide, Naide* (p. 18) et similibus egit, quae verba pronominibus exornare supervacaneum ob eandem causam esse existimabat. Ille autem, qui codicem Bobiensem exavarit, cum animadvertisset duo nomina voce parum dissona scripturaque haud multum inter se discrepantia parvo spatio interposito succedere, ea sic retractavit, ut pronomine alteri addito alteri aspiratione adiecta paulum abesset, quin confunderentur; nam § 57 haec promiscue posuit ita: „hic *Attis, Atthidis* vel *Attis*". Nunc aliud etiam respicias velim: veteres grammatici et imprimis ille de quo agimus auctores, quibus praecepta artis grammaticae confirmentur, tum potissimum testes adhibere solent, cum nomina, quae exemplis illustranda sunt, satis rara apud antiquos scriptores leguntur. Nomen autem puellae Lesbiae praeter Sapphus epistulam et Terentiani Mauri versum 2154 [1]) nusquam in litteris latinis occurrit. Quae si recte disputata sunt, nihil adhuc impedimento est, quominus grammatici verba ad epistulae versum 18 spectare arbitremur. At dixerit fortasse aliquis fieri potuisse, uti Ovidius in epistula, quae amissa ducitur, Atthidis nomen posuerit, quod postea a falsario depromptum sit. Ad quae ego quidem nihil respon-

---

dotis nomine inscriptum habemus et Probi Catholica quae feruntur ita ducta sunt, ut alia apud hunc, alia apud illum servarentur. — Duos libros, alterum Sacerdotis, alterum Probi nomine inscriptum ex communi fonte ductos esse dixi, *non* duos eiusdem libri codices ex uno archetypo descriptos, quod Steupius commendavit."

[1]) Cordi quando fuisse sibi canit Atthida (Sappho)
Parvam, florea virginitas sua cum foret.

debo, quoniam haec mera coniectura est argumentis destituta. Neque enim aliud consectamur, nisi ut singula argumenta ab hominibus doctis allata concutiantur atque examinentur, utrum rata sint annon.

Videamus nunc, quid de illo testimonio memorabili Am. II, 18 iudicandum sit, quod magno opere interpretes exercuit atque plane in contrarias sententias distraxit. Ovidii enim locus hicce:

Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
Scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas,
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iaso
Hippolytique parens Hippolytusque legant,
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat et *Aeoliae Lesbis amica lyrae.*
Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus
Scriptaque diversis rettulit ille locis:
Candida Penelope signum cognovit Ulixis,
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo,
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae,
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest,
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit,
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Quos versus cum nostra epistula proprieque cum versibus 181—184 minime congruere iam Schneidewinus contendit[1]), cuius opinionem etiam Riesius novissimus editor amplexus est.[2]) Quocirca operae pretium est locum diligentius inspicere, ut videamus, quid hoc rei sit. Ad Macrum scribit poeta amicum suum se grandia carmina audentem tragoediaeque intentum Cupidinis illecebris ad amatorias res scribendas deductum esse enumeratque nonnullas Heroides et inter eas Sapphus etiam epistulam. Deinde de responsis a Sabino redditis mentione iniecta Sappho tamquam amata inducitur invitaturque, ut Phoebo quam vovit lyram det. Unde sequitur in Sabini re-

---

[1]) Mus. Rhen. 1843. p. 138 sqq. et 1845 p. 144.
[2]) Edit. Ovid. praef. p. 10. in adnotatiuncula.

sponso, quod amissum dolemus, amatam eam fuisse effictam et fortasse etiam iisdem fere verbis atque Ovidiano loco ab amante commonefactam, ut votum suum solveret. Atqui in epistulae, quam lectitamus, versibus 181—184 poetria Lesbia iam Phoebo lyram posituram esse se pronunciat, sed causas, quam ob rem id factura sit, Schneidewinus non omnes intellexit, quamquam et ipse alios quod non intellexissent vituperavit, quorum ceteroquin interpretationes ne ego quidem, utpote quae ineptae sint, comprobare possum. Sed priusquam ad eius opinionem refutandam deveniamus, necesse est pauca de versu 169 interici, quem quam misere corruptum novissimi editores servaverint, satis merari nequeo[1]). Hunc enim in modum scribunt Francofurtanum vel Naugerianum librum sequentes:

Nec mora, versus amor fugit lentissima mersi
Pectora . . . .

Quamvis ille codex omnium praeter excerpta antiquissimus sit et permultas optimas praebeat lectiones, tamen haud sine cautione adhibendus est, quippe qui ab interpolationibus non sit immunis[2]). Nostro autem loco ipse sententiarum ordo ratioque medelam desiderat. Etenim praeterquam quod ineptissime „amor *lentissima* pectora fugere“ dicitur, illud quoque „versus“ nullo pacto excutere licet, quid sibi velit. Taceo de sententia insulse subsequenti versu repetita. Ad restituendam veram lectionem auxilio nobis est liber Harleianus versum egregie sic exhibens:

Nec mora, versus amor figit lentissima Pyrrhae
Pectora . . . .

Fingendi verbum simili modo usurpavit Ovidius A. A. I, 23:

Quo me fixit amor, quo me violentius ussit.

cf. Am. II, 9, 5 et Tibull. II, 1, 71[3]). Nunc perfacile explicari

[1]) Ne Sedlmayer quidem in edit. novissima lectionem mutavit.
[2]) cf. Baehrens. l. l. p. 51.
[3]) cf. Vries. l. l. p. 100 et 133.

potest, quo modo factum sit, ut illa gravis interpolatio in codicem Francofurtanum irreperet. Errore nimirum apographi, cum „fugit" pro eo quod est „figit" habuisset, adductus est is, qui Francofurtanum librum scripsit, ut intellectus causa „Pyrrhae" in „mersi" audacter commutaret. Alia autem difficultas Harleiani scriptura admissa iam effici Baehrensio videtur, cum post tempus praesens „figit" subsequenti versu „levatus erat" legatur [1]). Qua ut se expediret, „levatus abit" in archetypo scriptum fuisse opinatus est [2]). At non ad arbitrium locus corrigendus est neque omnino ulla mutatio necessaria esse mihi videtur.

Poeta enim dicere voluit Deucalionem amoris igne tum levatum esse, cum aquas corpore presserat et antequam amor pectora Pyrrhae figeret. Neque illa temporum praeteritorum „se misit", „pressit" et praesentis „figit" vicissitudo tantum valet, ut aliqua emendatione opus sit. Quae in ceteris codicibus „iussus", „iustus", „visus" pro „versus", „amans" pro „amor" et „laetissima" pro „lentissima" leguntur aperte corrupta sunt; „tetigit" autem, quod iidem libri praebent, supra illud „figit" in archetypo a sciolo quodam scriptum prius fuisse, qui ad Met. IX, 720 „amor ambarum tetigit rude pectus" spectaverit, et deinde in textu locum obtinuisse veri simile est.

Hoc loco licet superiora etiam in accuratius examen vocare, quae a Baehrensio iniuria mutilata esse video. Plerique codices vv. 165—168 sic habent:

Phoebus ab excelso, quantum patet, aspicit aequor:
Actiacum populi Leucadiumque vocant.
Hinc se Deucalion Pyrrhae succensus amore
Misit et illaeso corpore pressit aquas.

Pro „quantum" Francofurtanus liber „quando" lectionem exhibet, qua adductus est Baehrensius, ut „quoquo" proponeret [3]). Sed nullam causam invenio, cur optimae lectioni ple-

[1]) l. l. p. 61 sq.
[2]) Hanc lectionem etiam Vries amplexus est.
[3]) l. l. p. 61.

rumque traditae alia minus bona substituatur, praesertim cum mendum illius scripturae simili vocis superioris exitu facile explicari possit. Sed audacius aggressus Baehrensius est ad emendandum versum 168, quem Harleianus liber contra ceterorum communem scripturam peculiariter sic tradit:

Misit et in liquidas pondere [1]) pressit aquas,

ex quo aperte corrupto versu vir doctus effecit huncce:

Misit nec liquidas pondere pressit aquas

et, ut mutationem excusaret, addidit haec: „Servabatur quem venti tulerunt in litus, peribat quem pondus detraxit in undas.“ Quod minime recte excogitatum esse docet communis fama, ex qua corpus desilientis in aquam, ut amor cessaret, mergere debebat, velut apparet ex Anacreontis fragmento 19. (Bergk. ed.):

ἀρθεὶς δηὖτ' ἀπὸ Λευκάδος
πέτρης ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ, μεθύων ἔρωτι.

Versibus autem 177 sqq., quos Baehrensius in auxilium vocat, nihil aliud precatur Sappho, nisi ut saltus impetus ventis plumas afflantibus allevetur atque casus pericula deminuantur: quod si ei contigerit, in naviculas circumstantes recipi possit [1]). Retinenda est igitur vulgaris egregia lectio:

Misit et illaeso corpore pressit aquas.

His explanatis ad propositum redeundum est. Schneidewinus quidem haec: „Sappho gelobt sie (die Leier) dem Phoebus, wenn sie das Leukadische Sturzbad glücklich überstanden habe und von Liebesgluth gekühlt sei.“ Verum enim vero, ut ratiocinatio recta atque sana sit, oportet omnia ac singula proposita enumerentur. Quod vir doctus facere neglexit ideoque eius rationis conclusio claudicat. Nimirum Sappho, si epistulam attente legeris, tum voto tenebitur, cum non solum de Leucate prospere desiluerit curamque ponere potuerit, sed

[1]) Nescio, utrum in libro „pondere“, an „corpore“, quod Sedlmayer notat, traditum sit.

[2]) cf. Strab. l. l. — cf. Vries. l. l. p. 103.

versus etiam, quod summum est, amor pectora Phaonis fixerit, quemadmodum Deucalionis amor in Pyrrham transierat Naide monente. Hanc enim legem locus ille Leucadius tenebat. Neque Sappho aliud quicquam ardentius cupiebat, quam ut amaretur; sed quominus nymphae consilium protinus sequeretur, et amoris spe indulgentis et desiliendi metu retinebatur, donec ab amato epistulam acciperet. Quae cum nulla rescripta esset, Sappho nullo praeter saltum remedio relicto praecipitem de rupe se misit eoque ad Phaonem convertit amorem, quem postea Sabinus adumbrasse videtur[1]). Quod cum ita sit, quam accurate Am. II, 18, 34 cum epistulae versibus 165—184 conveniat, aperte, ni omnia fallunt, unus quisque videt[2]). Loersii[3]) et Welckeri[4]) interpretatio, ex qua Sabinus Phaonem litteras blandas ad Sapphonem salto nondum perpetrato scribentem finxerit, accipienda propterea non est, quia si se isto modo res habuisset, causam perspicere nequiremus, cur Sappho Phoebo lyram ponere iuberetur. Cum autem Phoebus Leucadi praeesset saltusque Leucadius amorem desilientis in amati hominis pectus transfundere soleret, versus Am. II, 18, 34 non modo Sapphus epistulam repugnare nequit, verum ipse etiam per se alioquin obscurus satis amplam et idoneam explicationem ab illa repetere videtur, ut alterum utrum admittendum potius sit: sive epistulam ab Ovidio ipso originem trahere, sive falsarium Amorum loci rationem fraude habuisse; nam casu fortuitoque id evenisse perdifficile est credere.

---

[1]) Unde haec fabula profecta sit quidque veri fictique contineat, sunt quaestiones maxime impeditae atque huius loci finibus aliquanto ampliores. Neque quod ad Deucalionis saltum pertinet quicquam praeter hunc locum memoriae proditum est.

[2]) cf. Mähly. Mus. Rhen. ann. 1854 p. 623.

[3]) v. Mus. Rhen. ann. 1846 p. 47.

[4]) Quamquam vir doctus (kleine Schriften part. III, p. 111) versum 169 recte intellexit, de Sabini responso mire iudicavit, cum in eiusdem paginae adnotatione haec scripserit: „Sabinus in der Antwort auf die Ovidische Heroide liess den Phaon durch Gegenliebe den gedrohten Sprung abwenden.“ Idem sensit Kockius in dissert. „Alcaeus und Sappho“ inscr. p. 64.

Commemorandi etiam sunt in transcursu Epicedii Drusi versus 106, 204, 241 sq., qui ad similitudinem epistulae versuum 154, 54, 81 sq. conformati esse videntur [1]). Illud autem carmen ad aetatem Augusteam vel certe Neroneam pertinere persuasum habeo [2]). Nunc si virorum doctorum argumenta contulerimus, ne haec quidem tantum valent, ut epistulae antiquitatem infitientur. Lachmannus enim Erichtus nomine (v. 139) inductus, quod ex Lucani libri VI vv. 508 sqq. depromptum existimabat, epistulae originem post Pharsaliam conscriptam retulit [3]). Birtio autem temporis fines arctius adstringenti ea in aetatem argenteam fereque Neroneam incidere videtur [4]). Sed nulla satis idonea ad confirmandas has sententias argumenta attulerunt; nam, quid de illius veneficae nomine iudicandum sit, infra videbimus. Quam ob rem intimas rationes, iam nulla alia discernendi spe relicta curiosius perpendemus.

Faciamus igitur initium a quaestione et difficili et numeris computationibusque lanquida, ex qua nihilominus multa in diiudicanda re haud parvi ponderis colligere nobis licebit: quaestionem dico ad rationem metricam pertinentem. Infitias enim eundum non est cuique poetae peculiare propriumque in pangendis versibus inesse ingenium, quod, quamvis procedente vitae aetate inclinari aut pro tempore explicari possit, extra certos tamen cancellos egredi non solet. Atque hoc quidem Ovidio potissimum accidit, cuius prompta et expedita carminum componendorum facultas ac studia mature eo consuetudinis venerunt, ut ille nullo fere negotio ac paene inconsiderate in rhythmos incideret, veluti ipse testatur Trist. IV, 10, 25 sq:

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos
Et quod temptabam dicere, versus erat.

[1]) v. Vries. l. l. p. 124 sq.

[2]) Contra disputavit Hauptius in comment. ad Epiced. Dr. Lips. 1850. p. 28. Sed vide Baehrens. Poet. lat. min. vol. I p. 100 sq. Huebner Hermae XIII p. 145 (ann. 1878) iudicat consolationem scriptam esse saec. secundo p. Chr. n. — cf. Vries l. l. p. 124.

[3]) l. l. p. 57.

[4]) Mus, Rhen. ann. 1877. p. 388 adnot.

Quare haud mirum est, si in tanta ingenii atque indolis consuetudine et facilitate poeta quas ipse primum iniit artis et dicendi rationes per totam fere aetatem tam constanter secutus est, ut vix supremis vitae annis relegatione atque miseriarum mole affectis eas labare sineret. Atqui cum in carminibus imprimis invenilibus ad easdem res eius sermo identidem revolveretur, saepenumero fiebat, ut idem orationis habitus atque color, quem aut prius ipse, aut superiores poetae elegiaci celebraverant, iterum atque iterum usurparetur eaedemque sententiae repeterentur [1]). Pluribus tamen rebus praecipueque rationibus metricis Ovidius multum a ceteris poetis discrepat utpote qui cum elisionum et caesurarum certiores et tamquam ratas leges stabiliverit, tum plerasque licentias, quas superiores poetae in carmina sua admiserant, evitaverit. Quae res in investigandis Sapphus epistulae versibus indicia haud aspernanda nobis praebebunt. Operae igitur pretium est rem metricam diligenter disquirere. Proficiscamur ab elisione.

Nasonis distichorum elisiones qui recensuerit contuleritque similitudine commovebitur, quae inter eius carmina praecipue iuvenilia et Sapphus epistulam intercedit. Ac primum quidem in 110 epistulae pentametris primus pes nunquam elisus invenitur, id quod etiam in Hypsipyles, Canaces epistulis accidit et in primis 110, quem numerum epistula nostra habet, pentametris Artis amatoriae libri II. In reliquis autem haud dubiis epistulis semel bisve illius pedis vocabulum eliditur. Contra valde adamata Ovidio est ea elisio, quam patitur vocalis brevis in arsi secundi pedis pentametri voce monosyllaba insequente. Cuius usus exempla habemus in nostra epistula v. 106 „nisi ut“, v. 202 „desinite ad“, semel in hexametro v. 205 „efficite ut“, in ceteris carminibus saepissime, velut Ep. II, 62 „quaecumque e merito“; Ep. IV, 24 „sarcinaque haec“; 58 „enixa est“; Ep. V, 16 „defensa est“; Ep. X, 114 „flaminaque in“; Ep. XIV, 55 „femina sum et“; 58 „credibile est caesos“; 90 „cornuaque in patriis“; 92 „territaque est“; Am. I, 12, 22 „molliaque ad“;

[1]) v. Senec. Contr. IV, 28. (p. 281).

14, 22 „cum temere in“; 15, 16 „cum sole et“; II, 3, 14 „indigna est“; Art. am. I, 458 „insciaque est“; 486 „insequere et“; II, 20 „difficile est“; 174 „effugite et“; III, 530 „inspicite et“; 673 „efficite et“. Rarissime eliduntur in eadem arsi vocabula spondiaca. Quod ad v. 188 pertinet, iniuria novissimi editores Heinsio adstipulantes lectionem „forma et meritis“ adversus consentientem librorum optimorum fidem etiam nunc tuentur; nam nihil lectioni traditae inest, quod illam mutationem excusare possit. Maiore enim versu cum Leucadia unda Phaonem ita comparat Sappho, ut eum anteponat salubrioremque appellet. Haec autem praestantia Heinsii coniectura prorsus tollitur, ex qua Phaonis et Phoebi merita paria efficiuntur. Contra optime Phaon salubrior quam unda Leucadia, formae autem meritis Phoebo compar dicitur. Illa autem, quae Heinsius ad coniecturam defendendam attulit exempla, Ep. VII, 5 et Ep. VI, 83 nihil ad rem faciunt. Restituenda igitur est librorum optima lectio. Vix digna, quae hic commemoretur, est Baehrensii mutatio, cui in eo difficultas inesse videtur, quod Phaonis formositas puellam sanare dicitur. Quam ob rem posuit „curae meritis“, ut per „curam“ id quod est „curatio“ vel „medicina“ intelligeretur [1]). Itaque ex bona mala fit lectio, quae non solum a codicum scriptura abhorret, sed ineptam etiam sententiam continet, nam, cum Phaonis merita Sapphoni gratiora essent, non recte, ut dixi, Phoebus cum Phaone medicinae meritis conferri potest [2]). Neque eo versu de salute vel curatione agitur, sed de sola pulchritudine. Sed iam ad id, unde digressi sumus, revertamur.

Vocabula „ante oculos“ (vv. 118 et 162) saepissime apud Ovidium eadem quam in nostra epistula tenent sede concurrunt, veluti loco simillimo Am. III, 5, 10:

Constitit ante oculos candida vacca meos.

Similiter Art. am. III, 44; 168; Rem. 300; 564; Fast. III, 250; 382; IV, 178. Huc pertinent Am. II, 6, 12; III, 9, 64;

---

1) l. l. p. 63.

2) Vries Heinsii coniecturam comprobavit reiecta Baehrensii emendatione l. l. p. 106.

Art. am. III, 534; 716; Her. II, 60; in hexametro Am. I, 5, 17; III, 4, 19; Her. VII, 69; XI, 55; Fast. III, 483. In eadem thesi multo rarius inveniuntur voces trochaicae in longa elisae, quales in nostra epistula habemus v. 86 „atque anni“ et v. 94 „atque aevi“; item Am. I, 1, 4; 12, 6; Art. am. I, 174; 648; III, 18; 282; Her. II, 40; VI, 56; 76; Fast. III, 862; Ex Pont. II, 2, 122; in hexametro Her. II, 59.

In altera pentametri parte duas, si finem exceperis, elisiones reperies, v. 130 „accipere apta“ et v. 96 „verum ut“, quarum primam in deliciis habuit Ovidius maximeque in infinitivis usurpavit, velut Am. II, 19, 48; Her. IV, 30; XI, 54; 88; ex Pont. II, 2, 60; 3, 38; 8, 74; III, 9, 32; IV, 8, 72; Fast. II, 216; VI, 164; in aliis vocabulis Am. III, 6, 46; Art. am. III, 802; Trist. I, 8, 22; 32[1]); II, 226; ex Pont. III, 4, 24; 26; Fast. II, 582; IV, 442; V, 6; 274; Her. VII, 98.

Altera elisio quae est „verum ut“ ab Ovidii ratione certe abhorret, quippe qui syllabas in *m* exeuntes veritus sit in altera pentametri parte elidere. Quam ob rem alii epistulam totam subditiciam esse contenderunt, aliis varia codicum recentiorum scriptura varie emendandi copiam praebuit. Sed nullis mea quidem opinione conaminibus contigit, ut lectionem minus impeditam efficerent. Coniecturarum enim praestantissima est Heinsii „me sed amare“ reponentis, ubi tamen vocum collocatio difficilem reddit orationem. Eandem coniectandi viam iniit Baehrensius, qui, ut erroris origo intelligeretur, haud felicius „nos sed amare“ proposuit[2]). At non tantum offensionis vetus lectio habere mihi videtur, ut aliqua emendatione opus sit, nedum de ipso epistulae fonte dubitemus. Semel enim tantum Am. II, 13, v. 24 „feram ante“ sibi permisit Ovidius pyrrhichiacum in *m* desinens in arsi acuta elisioni obnoxium facere; idem semel in brevi Met. III, 557 „quidem ego[3])“;

[1]) Quod optimi libri „ipsa“ pro „ipse“ habent mero errore scriptum esse iam multi intellexerunt. De huius pronominis collocatione cf. quae Vahlenus disputavit in diss. sua: Ueber die Anfänge der Heroiden. p. 39 sq.

[2]) l. l. p. 58.

[3]) Eschenburg. Metrisch. Untersuch. p. 3 sqq.

unum modo cretici elisi exemplum legitur Her. VIII, 71 „Castori Amyclaeo[1])“; item semel longa in altera parte pentametri elisa est Her. XIX, 178. „certe ego“. Laxiore igitur liberioreque arte usus est Ovidius, quam quae similibus exemplis semper confirmari possit. Impeditiores quidem elisiones, si ratum est meum iudicium, a poeta admittuntur, cum vocalis elidenda eadem sit atque ea cum qua iugatur. Hac lege non nostrum modo locum explicari possimus sed etiam illa singularia Am. II, 13, 24 „feram ante“, Met. III, 557 „quidem ego“, Her. XIX 178 „certe ego“, Her. X, 86 „insulam ament[2])“ Trist. IV, 2, 54 „resistere equos“. — Nuperrime misere mutilavit versum Vries interpunctione quoque mutata ita legens[3]):

Non ut ames oro serus: amere sinas.

Nam praeterquam quod „serus“ apto sensu caret minimeque ad rem faciunt exempla, quae vir doctus attulit, oppositio quoque desideratur. cf. Her. IV, 124; VII, 164; Rem. 221; 239. Quod ad versum Her. I, 2, pertinet, quo illam interpunctionem defendere conatus est, ego quidem prorsus aliter iudico. Etenim ille Palmerum sequens sic scribit:

Nil mihi rescribas ut tamen: ipse veni.

ubi maxime vituperandus est ordo verborum insolitus. Contra optimi libri optime:

Nil mihi rescribas, at tamen ipse veni.

in quo versiculo emendando frustra se torserunt viri docti „tu tamen: ipse“, „attamen: ipse“, „ut tamen: ipse“, alia proponentes. Sui enim moderatione utitur Penelope in rogando: „nihil, inquit, *mihi* rescribas, non tam multum mihi tribuo, ut responsum a te expetere possim, at veni tamen domum, ut tuas opes procorum multorum aviditati eripias (v. 90); nam

---

[1]) Eschenburg. l. l. p. 3.

[2]) In vulgari huius versus lectione minime acquiescendum est neque indicativus ullo modo ferri potest. Scripsisse poetam censeo: „Quis scit an hanc etiam tigrides insulam ament.“ Quae coniectura codice Parisino et fragmento Vindobonensi comprobari videtur.

[3]) l. l. p. 76 sq.

Laertes senex, Telemachus puer, ego femina sumus imbelles“ (v. 97 sq). — Itaque, ut in viam redeamus, lectio, quam Vries nostro loco proposuit, et ineptam sententiam continet et orationem violenter abrumpit. Retinenda igitur est vetus scriptura „verum ut amare sinas“. De activo autem infinitivo persona agente omissa cf. Rem. 411.

Initio hexametri saepe reperiuntur vocabula trochaica elisa in brevi, qualia in nostra epistula tria occurrunt v. 19 „atque aliae“, v. 81 „sive ita“, v. 83 „sive abeunt.“ Similiter Her. I., 31; 93; II, 83; VI, 101; VII, 31; Am. II, 1, 7; 4, 11; 17; 7, 3; 11; 17, 5; III, 6, 53; 15, 11; Art. am. I, 129; 219; 407; II, 61; 297; Rem. 165; Fast. III, 671; V, 501; 683; VI, 675; Trist. I, 1, 21; 5, 31; II, 123, 557; III, 9, 27; IV, 1, 103; V, 1, 19; 3, 49; 7, 23; ex Pont. II, 5, 55; 9, 57; III, 9, 27; IV, 9, 9; 51. „Sive“ in Fastorum libris semel, in Tristium libris et epistulis ex Ponto numquam hac sede elisum inveni.

Quod in *m* exit pyrrhichiacum in secunda arsi non acuta elisum, qualem v. 23 „fidem et“ habemus, quamquam Nasoni tam odiotum erat, ut in Heroidibus id omnino evitaret, in carminibus tamen invenalibus bis sibi permisit Art. am. III, 587 et Rem. 359; in Met. autem libris ter deciens I, 488; 563; II, 48; 787; III, 443; IV, 131; VII, 660; IX, 355; X, 479; 573; XI, 341; XIII, 856; XIV, 532; semel in Fast. I, 5, 39; semel in Trist, I, 5, 39; in epistulis ex Ponto ter II, 2, 51; 10, 51; IV, 12, 45 [1]); in tertia arsi duo habemus exempla Met. XI, 630, XIV, 227; in quarta arsi tria Met. III, 204; IV 17; XIII, 69.

Aliquotiens eliduntur pronomina monosyllaba in secunda arsi hexametri, ita in nostrae epistulae v. 125 „te invenio“; Am. II, 19, 21; ex Pont. IV, 4, 35.

Rarissime occurrit brevis syllaba in tertia arsi elisa, velut v. 83 „studia in“; Am. III, 15, 5: Her. XIII, 139.

Vocabula „neque enim“ v. 105 eadem sede iugantur in sententiis interclusis Her. VII, 31; Art. am. I, 561; 665; II, 565; III, 717; Fast. IV, 521; Trist. I, 9, 25; V, 2, 33; 77;

[1]) Eschenburg. l. l. p. 2 et 13.

huc pertinent similes elisiones v. 173 „voce abiit"; Her. VII, 53; XII, 181; Art. am. II, 115; III, 627. — Vv. 19 „crimine amavi" et 43 „omnia amantes" concurrunt in quinta thesi, veluti Her. VII, 123; 177; IX, 137; XI, 59; XII, 65; XV, 229; 279; XVII, 97; Am. I, 10, 13; II, 1, 13; 19, 45; III, 9, 67; Art. am. I, 439; 525; 699; 769; II, 245; III, 351; 467; 667; Rem. 23; 193; 315; 423; Fast. II, 213; 549; III, 379; IV, 811; VI, 39; Trist. I, 7, 37; II, 255; IV, 8, 27; ex Pont. I, 5, 67; 9, 45; II, 1, 57; 6, 23; III, 1, 41; 2, 109; 5, 15; 7, 9; IV, 16, 51.

V. 45 „omnique a parte" eadem sede legitur Met. IX, 38; X, 374; haud dissimiliter XI, 490. Unus Francofurtanus liber „omni tibi parte" exhibet non male, quam lectionem probavit Riesius. Et de elisione quidem hactenus.

Quem v. 103 hexametri finem duobus monosyllabis „nec tu"[1]) constantem legimus, quorum alterum est pronomen, satis frequenter Ovidius usurpavit, praesertim cum vox, quae praecedit, longior sit duabus syllabis: Her. X, 5; XVI, 123; 197; XVII, 189; XVIII, 31; XIX, 27; Am. I, 15, 5; III, 7, 55; Art. am. II, 595; Rem. 359.

Pronominis loco aliam vocem posuit poeta Her. IV, 89; V, 1; XV, 197; Am. II, 4, 13; III, 4, 5; Art. am. I, 619; II, 447; III, 151; 445; Rem. 329; Her. XVIII, 101; 147; 209; XIX, 95; 213.

Quod ad syllabarum quantitatem pertinet, notandum est „abiit" (v. 173), quod poeta finali producta usurpavit. Saepe Ovidius finalem brevem et in consonam exeuntem produxit in arsi metri heroici. De frequenti hoc usu videas velim quod Lachmannus in Comm. Lucret. pag. 207 disputavit[2]).

V. 182 vulgaris lectio est haecce:

Et sub ea versus unus et alter erit.

ubi offendit brevis medio pentametro posita, quae in Ovidio

[1]) Sic bene Burmannus; libri „nec te Admonuit quod tu", quae aperte corrupta sunt.

[2]) cf. Eschenburg. l. l. p. 18. Lachmann. kl. Schr. II. p. 59. Haupt ad Met. I, 114. Luc. Mueller de r. m. p. 325. Vries. l. l. p. 104.

nusquam legitur, nisi fortasse in illo suspecto ex Pont. IV, 3, 44 „Indigus effectus omnibus ipse magis."

Hoc quoque loco gratias habemus Francofurtano codici pro „erit" egregie „erunt" praebenti, quod mori Ovidiano consentaneum est. Cf. Am. II, 5, 22; Trist. I, 3,16; Rem. 364[1]). In nomine „Sicanos" (v. 57) prima syllaba corripitur, producitur altera. Neque aliter Verg. Aen. V, 24; Horat. Epod. XVII, 32. Contra primam productam alteram correptam habet apud Ovidium „Sicaniam" Met. V, 464; 495; XIII, 723; item „Sicanias (harenas)" Met. XV, 279; et „Sicanis (Aetna)" Ib. 596[2]).

Maxime displicuit viris doctis illud „repondo" v. 32 per amphibrachyn dictum, cum Ovidius, quamvis saepenumero voces iambicas: amo, cano, nego, peto, rogo, leo; creticas: confero, desino, odero, nescio, Curio, Scipio, Gallio; spondiacas: Naso, Sulmo, esto, credo, tollo, ergo, nemo, omnes in o desinentes brevi finali efferat[3]), numquam tamen sibi illam indulserit licentiam.

Quam ob rem propositum iam est a Bentleio „repende", quod nuper Baehrensius et Vries[4]) non modo probaverunt, sed eo etiam processere, ut scriberent:

Ingenio formae damna repende meo.

qua mutatione mendi originem explicare volunt. At sententia, quae inde nascitur, ferri non potest; nam absurde Phaon dicitur damna aliena alienis bonis rependere neque alius quisquam nisi ipsa Sappho damna sua ingenio rependere poterat. Itaque valde verendum est, ne rationis metricae causa loci sensui officiamus. Quare non possumus lectionem traditam reicere, quae, etsi nullo Ovidii exemplo confirmari potest, non tantum offensionis habet, ut emendatoris ingenio opus sit, praesertim cum vulgaria atque usu detrita breviari

---

1) v. Vries. l. l. p. 105.
2) cf. Vries. l. l. p. 62.
3) Luc. Mueller. l. l. p. 337.
4) l. l. p. 49 sq.

appareat [1]). „Rependo“ autem quis negare potest usitatissimum fuisse?

In adhibendis caesuris eodem modo rem se habere in Sapphus epistula atque in carminibus Ovidianis monstravit Eschenburgius numeris diligenter collatis [2]). Neque Birtio aliud magis fuit offensioni quam v. 113, quem ab Ovidio prorsus alienum declarat, quippe qui non odiosam solum praebeat formam sermone post secundam et quartam arsin inciso, sed primo etiam pede spondiacam vocem contineat, id quod non concesserint sibi nisi scriptores caesurarum neglegentissimi [3]). Sed accuratius qui inspiciatur hic locus mihi dignus esse videtur, non tantum quia ex eo falsam esse epistulae originem nonnulli concluserunt [4]), sed magis quod tam insolitus et a latino omnium temporum dicendi more tam alienus est, ut quaestio sua sponte occurrat, nonne consultius sit versui, priusquam pro argumento usurpetur, medicinam adhiberi. Locus enim hoc modo ex optimorum codicum auctoritate legitur:

Postquam se dolor invenit, mea pectora planxi
Nec puduit scissis exululare comis.

Quod hic plurimum difficultatis habet, reflexivum „se invenit“ esse per se intellegitur. Haec enim forma non nisi posterioribus temporibus eaque numquam negatione non addita in litteris latinis occurrit, sicut Petronius in Sat. 47 habet „multis iam diebus venter mihi non respondit, nec medici se inveniunt“ [5]). Unde plerique critici certatim collegere nostram epistulam Petronii aut posteriore aetate confectam esse. Qui autem ita iudicant, sive mente praeoccupata ratiocinantur, sive falsa speciei similitudine capti sensum, ex quo omnia pendent, exquisitius examinare noluerunt. Quid enim refle-

---

[1]) Luc. Müller. l. l.

[2]) l. l. p. 19.

[3]) Mus. Rhen. 32. p. 390.

[4]) Lachmann. l. l. Riesi praef. ed. p. X.

[5]) cf. etiam Senec. de benef. V, 12, ubi Kochius lectionem traditam „se inveniunt“ in „sedem inveniunt“ iniuria mutavit. cf. et Petron. 119, 24.

xivum „se invenire“ aut rectius „non se invenire“ significat? Non se invenire dicuntur ii, qui, quamvis facultates quasdam viresque habere ducantur, in re tamen inexpectata aut ardua eo confusionis aut trepidationis veniunt, ut *nihil sciant, quod faciant*, sicut medici, de quibus Petronius narrat. Nunc si ponamus hoc reflexivum etiam negatione omissa usurpari, si concedamus, quod maxime improbabile est, id non solum de personis, sed de rebus etiam dici, et si tandem illam significationem supra expositam affirmativa ratione nostro loco applicare velimus, quisnam intellectus efficietur? Equidem nihil intellegere me fateor neque affirmare haesito locum corruptum esse. In medela autem invenienda necesse est cognoscamus, quid poeta scribere voluerit. Quod ut eruamus, non superiora modo duo disticha animadvertenda, sed ii quoque poetarum loci in examen vocandi sunt, quibus similis sententia contineatur. Ac primum quidem ex versibus 110—114 certe colligi potest animi affectum in duo momenta diversa a poeta divisum esse, quorum primo status ille animi designatur, quo sensus subito quodam infortunio audito visove animum deficere solent. Alterum, cum ex hoc nostro loco corrupto enucleari nequeat, similibus locis investigare conemur. Ex omnibus poetis unum Ovidium maxime iuvat hoc affectus discrimen accurate definire. Ita Met. IX, 581:

palles audita, Bybli, repulsa
Et pavet obsessum glaciali frigore corpus.
Mens tamen ut rediit, pariter rediere furores.

cf. Met. VI, 527 sqq; V, 510 sqq; Fast. III, 331 sqq; V, 114 sqq; Her. X, 31 sqq.

Quibus exemplis allatis aperte eruitur dolorem malo audito visove non nisi intervallo quodam interposito ad sensus pervenire et illa duo momenta *indolentiae* et *doloris* ab Ovidio subtiliter disiuncta esse. Itaque noster locus sic emendandus est, ut exsultatio doloris, qui adhuc effectu carebat, designetur. Unde apparet, quam infelix et inepta sit Harleiani libri lectio „se imminuit“, quam nonnulli praetulerunt. Nam dolor, cum

nullus esset, se imminuere non poterat. Adde quod cogitari nequit, quo modo fieri potuerit, ut dolor se ipsum imminueret. Praeterea cum et sententiarum ordo et exempla similia Met. IX, 581; IV, 137 sqq. moneant particula quadam opus esse, quae oppositas affectus partes indicet, proponere audeo:

Sed postquam dolor emersit . . . .

Quae emendatio confirmari potest Cic. ad Att. IX, 10 „nunc emergit amor", aut VI, 7 „deinde emergit rursum dolor". Locum corruptum ex inscita primorum versus verborum commutatione originem duxisse adicere vix est necesse. Coniectura Baehrensii [1]) „postquam se dolor immisit" rem metricam nihil adiuvat, neque Vries felicius proposuit „postquam se torpor minuit", cum nec torporem se ipsum minuere cogitari possit, nec offensio in voce spondiaca primi pedis posita tollatur. — Quod ad reliquum hemistichium attinet, quamquam lectio „plangi" ab activo „exululare" excepta Her. XI, 91 sq. defendi potest, malo tamen plerosque codices inter quos Harleianum sequi. cf. Her. V, 71; Met. XIII, 491.

Nunc de altero Lachmanni argumento disseram, quod v. 139 legitur:

Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Attigit . . .

Erichthus enim nomen in sola Lucani Pharsalia libr. VI, vv. 507 sqq. occurrit et veneficam quandam Thessalicam designat, cuius ope Pompei Magni filius usus est ad exploranda belli fata. Itaque nostro versu haec maga minime locum habere potest, quippe quae neminem, si Lucani verba sequimur, in amentiam amoris impulerit. Neque admitti potest poetam nostrum, qui alioquin in rebus mythicis tam versatus videtur, talem inscitiam commisisse. Comparatio igitur „ut quam furialis Erichtho attigit" inepta est neque sustineri potest, praesertim cum mentio artis magicae, quae maxime odiosa apud antiquos erat, Phaonem abalienare par esset. Accedit

---

[1]) l. l. p. 59.

quod in melioribus codicibus non „Erichtho" sed „Enyo" vel corrupte „Eritho" traditum est, quorum primum in Francofurtano, alterum in Harleiano libro legitur. Sed ne in Enyus quidem nomine acquiescendum est, quo nec aetate argentea nec posterioribus temporibus alia dea nisi bellica, quae ad hunc epistulae locum minime apte convenit, appellari solebat.[1]) Nam in iis, quos Scato de Vries pag. 137 ex Dracontii quae fertur Orestis tragoedia attulit versibus 497 sq.[2])

Et Furiis augete malum mortale venenum;
Torqueat auctores scelerum crudelis Enyo.

Furiarum et Enyus nomina non, ut Vries vult, tam coniuncta sunt, ut unum pro altero stare possit, sed duae plane diversae exhibentur notiones deam bellicam et Erinyn seorsum designantes. Respondet scilicet nutritor Orestis ad ea quae Clytaemnestra supra praefata est placidam quietem renuncians:

v. 387 quod vos sic minuit saevis Bellona duellis,
regis culpa fuit, qui exhausit civibus urbem.

Quod ad versum 784 pertinet:

laudat Enyo nefas, dextram culpabat Erinys.

Enyos nomine deam sanguinis fusi atque occidionis designatam esse manifestum est, quod haud aptius quam Erinyos nomen in epistulae locum cadit. Quae cum ita sint, veri simile mihi esse videtur in communi archetypo corruptum „Eritho" exstitisse, in cuius locum is, qui librum Francofurtanum scripsit, cum mendi originem non intellexissit, de suo „Enyo" subrogaverit. Lectionem autem ERITHO mero errore pro ERINYS a librario quodam facile scribi potuisse credo, cuius oculi aberrantes in ultimam syllabam subsequentis „topho" inciderunt. Erinys simili modo usurpata Met. IV, 490; 506.

Quibus expositis videmus epistulam Sapphus, quae nunc lectitatur, Ovidii ingenio et indoli dignissimam esse neque aliam

---

[1]) Stat. Theb. VIII, 657: „et face mutata bellum integrabat Enyo. (cf. Sil. 10, 203). Mart. Spectacul. 24. „ne te decipiat ratibus navalis Enyo", ubi pro bello sive proelio ipso positum est.

[2]) edit. Schenkl. Pragae 1867.

fuisse, quae Am. II, 18 commemoratur. Exstitisse enim eam antiquissimis temporibus Ovidii aetati proximis atque poetae, qui Consolationem ad Liviam composuit, materiem artemque aliquot locis suggessisse iam ostendimus. Deinde in orationis colore, sententiarum ordine et nexu indoles cernitur Ovidiana. Neque ea, quae ad res mythicas pertinent a Nasonis ratione aliena sunt excepta Deucalionis fabula, quae tamen nihil impedit quo minus Ovidio potius ipsi quam imitatori cuiquam tribuatur, cum ille in fabulis antiquis plurimum versatus esset. Scriptum aliquod Alexandrinorum habuisse poetam ad manum in hac re narranda probabiliter statuit Comparettius[1]). Denique persona Sapphus, sic ut in hac epistula depingitur illustraturque, etiam ceteris Ovidianis locis sibi semper constat, velut A. A. III, 331:

Nota sit et Sappho, — quid enim lascivius illa?

Trist. II, 365:

Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas,

Rem. 761:

Me certe Sappho meliorem fecit amicae[2]).

Nunc postquam et ea quae ad rationem metricàm pertinent pertractavimus, et ea quae a viris doctis obiecta sunt impugnavimus, operae pretium est nonnullos locos in accuratius examen vocare.

Versu 7:

„Hoc breve nescires, unde movetur opus".

offendit non solum indicativus, sed locutio etiam „unde movetur opus", quam nullo pacto, „a quo mittuntur litterae" significare posse iam Schneidewinus exemplis Am. III, 1, 6; A. A. I, 29; Fast. IV, 820 satis demonstravit, ubi „movere opus" non aliud esse nisi „incipere, agitare, aggredi opus". Illa autem exempla, quae Vries ad tuendam hanc lectionem pag. 37 sq. congessit, defensioni magis nocent quam inserviunt. Non enim,

[1]) l. l. passim. cf. Birt. l. l. et Vries. l. l. p. 146.
[2]) cf. Comparett. l. l. p. 21 et 40. Vries. l. l. p. 146.

ut Vries vult, eodem sensu quo hoc loco leguntur Her. VII, 4: „adloquor, adverso movimus ista deo“, sed potius „aggredimur, agitamus“ per „movimus“ intellegendum est. Idem etiam de reliquis exemplis allatis iudicandum est: Met. XIV, 20: „carmen ore move sacro“; Fast. I, 19: „pagina indicium docti subitura movetur principis“; 268: „ipse meae movi callidus artis opus“; III, 11: „quid enim vetat inde moveri“; Verg. Aen. VII, 45: „maius opus moveo“. Itaque vulgata epistulae lectio haud idoneam sententiam efficit. Neque indicativus satis firmis argumentis a Scatone de Vries defenditur, nam exempla prolata maxime dubitationi obnoxia sunt, an integra genuinaque tradita sint. Quod ad versum Her. X, 86 pertinet, iam medicinam pag. 31 adhibuimus. Quae cum ita sint, acquiescere placet in optima optimi et vetustissimi codicis Francofurtani scriptura „unde veniret opus“, quae quominus recipiatur nihil obstat.

V. 7. Flendus amor meus est elegeia flebile carmen.

Sic omnes fere editores inde ab Heinsio hunc versum exhibent recentiores aliquot codices minimi ponderis sequentes. Quem locum corruptum esse non per se tantum intellegitur, cum Elegeia dea non flebile carmen dici possit, sed etiam ex ceteris antiquioribus libris colligere licet, quorum plerique „elegi flebile carmen“, unus „elegique“, Francofurtanus „elegi quoque“ memoriae tradunt. Hanc ultimam lectionem omnes ut ineptam respuunt et varia conamina infeliciter facta sunt, ut lacuna expleretur. Sed nulla emendatione aut restitutione opus esse intelliget qui particulae „quoque“ vim apud Ovidium cognoverit. Proferam in medium nonnulla huiusmodi exempla:

Art. am. III, 177:

Hic undas imitatur: habet quoque nomen ab undis.

Rem. 407; Am. I, 7, 15. Her. I, 65. cf. Aen. Verg. I, 5. ubi „quoque“ pro „similiter“ vel „ita“ positum est. Itaque noster locus sic est intellegendus: ut amor meus flendus est, ita flebile est elegorum carmen. cf. Trist. V, 5:

Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen.

Quam ob rem nec Baehrensii coniectura „elegi sunt“ nec Vriesii „elegis: hoc“ accipienda est, cum vetus lectio nihil offensionis habeat.

V. 156: Hactenus ut media cetera nocte silent

sic praebent codices exepto uno Francofurtano, qui pro „ut media“ habet „in media“. Utraque lectio ferri non potest; nam Baehrensii interpretatio, ex qua „omnia — Procne et Sappho exceptis — tamquam per mediam noctem tacent“, quid sibi velit intellegere non possum neque suspicari audeo virum doctum dicere voluisse omnes strepitus, dum Sappho et Procne canunt, silere quasi sit media nox. Vries Baehrensii interpretatione probata ridicule addit diem esse iam a versu 135, quasi Sappho in describendo suo turbido dolore temporis ordinem adamussim servare debuisset. Noctem profecto esse ostendit v. 152 cum Her. X, 8 coniunctus. Locus haud dubie mendo laborat, cuius medela ut inveniatur, proferenda in medium sunt similia:

Her. VI. 59 sqq:

„Abstrahor, Hypsipyle, sed dent modo fata recursus:
Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero.
Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo,
Vivat et eiusdem simus uterque parens“.
Hactenus et lacrimis in falsa cadentibus ora
Cetera te memini non potuisse loqui.

cf. Fast. V, 661. Met. X, 423.

Quibus exemplis facile rationem concludere licet post versum 155 distichon intercidisse, quo Sappho suos desertos amores media nocte cantabat. Scribendum est igitur:

155: Ales Ityn Sappho desertos cantat amores:
156: „. . . . .
157: . . . .“
158 Hactenus *et* media cetera nocte silent.

Ita recte ponitur „et“ post „hactenus“, sicut locis supra allatis. Sententia autem est haecce: Sic cantat Sappho suos amores et cetera silent media nocte.

Eiusdem modi lacunam statuendam esse censeo post versum 218:

> Hoc saltem miserae crudelis epistula dicat,
> Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

quibus in versibus interpretandis et emendandis frustra se torserunt viri docti. Iam Heinsio videbatur locutio tam insolita, ut genuinam agnoscere eam vix posset, neque Bentleius aliter de toto disticho iudicavit. Abruptam esse sententiam manifestum est desideranturque aliquot versus, quibus Sappho Phaonem orabat, ut responsum mitteret, etiam si nihil aliud eius crudelis epistula contineret, nisi ut medicinam aquae Leucadiae Sappho experiretur.

Nicolaus Barbu
de vita sua.

Natus sum Coronae in finibus Transilvanorum die 27 m. Febr. a. MDCCCLV patre Nicolao matre Helena e gente Padure. Fidei addictus sum catholicae orientali et civitate romanica fruor. Ab a. 1867 per octo annos discipulus eram gymnasii romanici Coronensis. Maturitatis testimonium adeptus Bucuresciensem universitatem adii et per tres annos scholas audivi. Dissertatione, quam de poesi erotica apud Graecos lingua vernacula conscripsi, publici iuris facta et ab illius universitatis philologorum ordine probata licentiae honorem a. 1881 nactus sum. Denique auctumno a. 1882 Berolinum me contuli, ut celeberrimos magistros audirem, et per octies sex menses scholas in universitate Regia frequentavi horum virorum doctorum: Kirchhoffii, Vahleni, Curtii, Dilthei, Roberti, Tobleri, Steinthali, Paulseni, Hirschfeldii, quos grata memoria prosequar. Per ter sex menses sodalis eram ordinarius seminarii philologici Regii, cui praesunt Kirchhoffius et Vahlenus, quibus imprimis candidissimas amplissimasque ago gratias.

Superest, ut addam me primos sex libros Livianos a. 1884 edidisse in linguam romanicam conversos et adnotatiunculis ornatos. Quam versionem Academia romanica Bucuresciensis coronavit.

THESES.

1) Liv. VIII, 2, 6 sic scripserim: „tum ab Sidicinis deditio prius ad Romanos coepta fieri est; dein postquam patres ut seram *eamque ultima tandem necessitate* expressam aspernabantur, ad Latinos iam sua sponte in arma motos facta est.“

2) Ib. 4, 3. Madvigii coniectura *consilia* pro *consules* reponentis reiecta lectionem traditam defendo.

3) Ib. 4, 4 legendum est: „ubi pars virium, ibi et imperii pars *esto.*“


4) Ib. 7, 21. Madvigii emendatio *merso* pro *emerso* scribentis improbanda est et lectio vulgata retinenda.

5) Ovid. Fast. II. 201 sic legerim:
Carmentis portae *dextro* est via proxima Iano.

6) Ib. Trach. 272 sq. sic emendaverim:
τόνδ', ἄλλοσ' αὐτὸς ὄμμα, θἀτέρᾳ δὲ νοῦν
ἔχων, ἀπ' ἄκρας ἧκε πυργώδους πλακός.

7) Soph. Aiac. 1237 scribendum esse censeo:
ποῖ βάντος ἢ ποῦ στάντος, οὗπερ οὐν ἐγώ;
(cf. v. 1280 sq.)

8) Ib. 966 recte habent codices:
ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς.
neque cum Schneidewino ἤ in ᾗ mutandum est.




190671
Barbu

